

di, *Procopii, Ludmilae, Elisabeth, Hedwigis*, mox arbitratus sum ad *Bobemiam* pertinere. Rem evictam dedit, quod e *fol.* postremo cum fide huc transfero. Obiit dominus *Hroznata abbas* anno Domini *M° CCC° XL° VIII° VIII Kal. Marcij* Item obiit dominus *Neplach abbas* anno Domini *M° CCC° LXXI° XVI Kal. Oobris.* Item obiit Dominus *Johannes dictus orlik* anno Domini *M° CCC° LXXXIX° XVII Kal. Aprilis.* Item obiit Dominus *Petrus dictus Laczur solemnus abbas* anno Domini *M° CCC° XV° XVII Kal. Januarij.* Cuinam vero Coenobio hos Viros praefuisse dicēs? *Opatovicensi* in Provincia *Reginaebradecena* a *Wratislao I.* sub exitum *Sec. XI.* fundato, et ab *Huffitis* a. 1420. everso. Huc me deduxit ipse *Neplacho* ope *Chronici* sui *Bohemiae*, quod nobis *Hier. Pezsius T. II. Scriptt. Rer. Austr. col. 1005.* dedit. Ait in eo, se anno 1332. susceptum ad ordinem *per Hroznatam praedecefforem* suum; annum vero electionis suae non exprimit. Hic igitur e *Codice* nostro conficitur. Ita et annus ejus postremus, de quo *Pezsius* in *Observat. praeviis* subdubitan, qui tamen successorem ejus *Johannem* recte adsignavit. An is ex superffite adhuc *Orlikiorum* stirpe fuit? De *Petro Laczur* tradit *Hagecius* cum aliis, dire tortum a *Johanne Miesteky* post 9. hebdomadas interiisse. Thefauros nempe *Monasterii*, de quibus mira ferebantur, prodere nolebat, cujusmodi The-

fauri non illo solum *Seculo* somniati fuere.

## DCCCLXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. <sup>R. 3343</sup> XV. Folior. 406. 8. nitide scriptus, et multo minio distinctus aliud ejusdem Ordinis *Breviarium* est praecedente *Calendario* adminiculis omnibus chronologicis ab a. 1477. ad a. 1496. instructo, in quo ad 15. *Jan.* notatur *Conradus Abbas*, videlicet *Lunaelacensis* hac die, teste *Chronico Lunael.* p. 123. anno 1145. trucidatus, et ad diem 18. *Vdilo* fundator hujus Coenobii *Dux Bojariae.* *Mensis Maji* die 8. pro *Apparitione* legitur *Victoria S. Michaelis*, et *Decembr.* die 11. *Tassilo* fundator huius ecclesie, eo nempe sensu, quod *Utilonis* patris donationes *Lunaelacensibus* confirmavit et auxit. *Calendarium* excipiunt aliae *Computus ecclesiastici Tabellae*, item *Tabula signorum Lune*, et *Directio* ad *Venam* aperiendam secundum XII. *Signa*, cui tamen sapienter additum: *Indigentibus nulla lex posita est, et ideo talibus nec signum nec hore expectande sunt.* In ipso *Chori Officio* nihil peculiare, nisi fortasse *fol. 394. p. 2.* *Ritus lotionis pedum* inscriptus *De mandato pauperum in die Cene*, et *De mandato fratrum in die Cene.* *Pauperum pedes* solus *Abbas* et *Prior* lavabant aquam adfundentibus *Cellario* et *Vestiaro*; *Fratrum* vero, qui *induti floccis sed exuti caligis* conveniebant,

bant, *coassumptis sibi duobus senioribus.*

## DCCCLXXIV.

R. 2178 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 234. f. caractere atro, luculento pulcre perscriptus, coloribus illustris, et Picturis X. literas initiorum implentibus auro fulgidis ornatus *Psalmodiae Chori* Officium per annum complectitur praevio *Calendario*, cujus singularia haec sunt: Antecedunt redacta in versus memoriales Festa ordine mensium primis tantum syllabis aut literis indicata, v. g. *Ci. si. ge. ia. nus. appa. ri. ti. wilb. pri. mus. i. fe. mau. mar. ant. pris. ce. fab. ag. vin. e. me. &c.* quae lego: *Circumcisio. Genoseva. Januarius. Apparitio seu Epiphania. Wilhelmus. Paulus primus Eremita. In Pincis Felix. Maurus. Marcellus. Antonius. Prisca. Fabianus et Sebastianus. Agnes. Vincentius. Emerentiana &c.* et observo, totidem cuivis mensi adtribui syllabas, quot ille dies numerat. *Januarii die 13.* notatur *Commemoratio episcoporum et abbatum ordinis nostri*; unde Codicem Coenobio cuidam *Benedictino* aut *Cisterciensi* datum fuisse intelligo. *Die 31. Obijt Marchio hermannus de brandenburg*, de quo dicam postea. *Martii 11. Obijt Otto marchio filius alberti de brandenburg. 18.* notatur *Primus dies seculi*, puta *Creationis Mundi. 21. Benedictus* miniatus, uti *20. Aug. Bernhardus. Aprilis 29. Rubertus*

*Abbas*, non quidem miniatus; invocatur tamen nomen ejus infra in *Litaniis*, unde in Coenobium Ord. *Cist.* propendeo. *Maji 8. Stanizlaus mart.* miniatus. *Junii 21. Obijt Inclitus wencezlaus rex bohemie*, videlicet IV. (al. II.) prior Maritus *Elisabethae Przemislai II. Pol.* Regis filiae, et quidem anno 1305. *Julii 3. Obijt generosus rudolfus rex boh.* nempe *Alberti I. Imp.* filius, *Elisabethae* Maritus alter, et quidem mox a. 1306. Ejusd. mensis 24. *Obijt otto longus marchio brandeb.* *Augusto* praeter *Bernhardum* jam dictum miniata etiam 26. *Hedwigis translatio. Septembris 12.* notatur: *De spiritu sancto in conventu et priuatim ab omnibus celebretur.* Item 28. *Wencezlaus mar.* miniatus est. *Novembris 20.* notatur *Commemoratio parentum nostrorum*, et 3. *Decembris: Obijt albertus marchio de brandenburg.* Ex his jam colligere potuit Lector, Codicem hunc, ut alios hic productos, e liberalitate memoratae Reginae *Elisabethae Viduae* fluxisse, quae conjunctos sibi vario adfinitatis nexu *Brandenburgicos* eidem insertos voluit. Sunt autem hi serie temporis, ni fallor: *Albertus II. Ottonis I.* filius ✠. 1221. *Otto III.* ejus filius dictus *Pius* ✠. 1267. *Otto* ejus filius dictus *Longus* ✠. 1298. et *Hermannus* ejus filius pariter *Longus* dictus ✠. 1308. In ipsa jam *Psalmodiae* fronte ad oram inferam videas *Reginam* in genua procumbentem, Deoque elevatis manibus *Librum offerentem*